



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Catechesis Pverilis

Melanchthon, Philipp

Lipsiae, 1543

VD16 M 2628

De Coena Domini.

urn:nbn:de:hbz:466:1-33561

peccata uestra ut coccinum, quasi nix dealba-
buntur. Si uolueritis & audieritis me, bona
terre comedetis. Et **Isaie** 33. Panis ei datus
est, Regem in decore suo uidebunt. Et **Zacha-**
rie 1. Conuertimini ad me & ego conuertar
ad uos.

DE COENA

DOMINI.

DILIGENTER Admonendi sunt
pij, ut discant sacramenta à Christo in-
stituta, non esse tantum notas profes-
sionis erga homines, sicut toga discernebat Ro-
manos à Grecis, aut forma uestis discernit mo-
nachos, nec esse tantum symbola morum, ut
nunc multi lectis gentium historijs, quia uident
in foederibus faciendis fuisse morem, testifican-
de beneuolentiæ mutue caussa, simul conuiuia-
ri, cogitant hanc coenam Christi etiam tale con-
uiuium esse institutum ad significandum mu-
tuam beneuolentiam, Sed hic nequaquam prin-
cipalis finis est. Nam sacramenta in **Euangelio**
instituta sunt signa gratiæ, id est, sunt princi-
paliter testimonia uoluntatis diuinæ erga nos.

K 5

Sicut

Sicut circumcisio erat testimonium posteris **A**brahæ, uerè eos esse populum **D**ei, & admoniti hoc signo debebant credere, se uerè propter promissionem, habere **D**eum propicium. **H**ic fuit principalis usus circumcisionis, ut docet **P**aulus **R**oman. 4. cum ait, circumcissionem esse sigillum iustitiæ fidei, id est, testimonium quo fides magis confirmatur, nam accepto signo statuimus ad nos pertinere promissionem. **S**ic & de cœna domini sentiamus, esse eam sacramentum, id est, testimonium additum **E**uangelio, ut nos admoneat uerè ad nos pertinere promissionem **E**uangelij & beneficia **C**hristi.

Scient igitur pij, utendū esse integro sacramento sicut **C**hristus instituit, & cum sumunt corpus & sanguinem **D**omini, **C**hristum adesse & efficacem esse. **C**um autem queritur ad quid proffit manducare, rectè respondetur prodesse ad confirmandam fidem, quia est testimonium, quo admoniti statuere debemus, uerè ad nos pertinere beneficia **C**hristi. **E**xhibet tibi **C**hristus corpus suum, ut donet tibi sua beneficia, ut testetur te esse membrum pro quo passus est, quod uelit seruare, in quo uelit esse effi-

cax con=

cdx contra diabolum. Exhibet sanguinem, ut scias te sanguine ipsius ablutum esse. Prodest igitur manducare agentibus pœnitentiam, & fide intuentibus in mortem & resurrectionem Christi, & credentibus propter hunc mediatorem Deum uerè propitium esse, uerè nobis ignoscere, nos exaudire, & inuocantibus hac fide Deum & Dominum nostrum Iesum Christum, et pro tanto beneficio gratias agentibus. Hec concurrere in usu necesse est. Nec prodest ceremonia sine pœnitentia & sine fide.

Quid de missa sentiendum est?

Sacramenta extra usum à Christo institutum, non sunt sacramenta, ut si quis aquam baptismi circumferret, etiamsi uerba adderet, theatrico more, nequaquam esset baptismus, & is cultus esset impius, ita cum ex cœna Domini fit oblatio, item cum applicatur pro uiuis & mortuis, nequaquam est sacramentum à Christo institutum. Cum autem sacrificuli in missa offerant panem & uinum sine ullo mandato Dei, & applicent pro uiuis & mortuis, fugiendæ

fugiendæ sunt tales missæ tanquam idolatricæ.
Nec opus ipsum potest alijs mereri remissionem peccatorum, quia oportet singulos accipere remissionem peccatorum gratis propria fide quæ nititur **C**hristo, non ullius humani operis merito. **P**ugnat igitur applicatio pro alijs, cum doctrina de fide. **D**enique non magis est sacramentum in missa papistica, quàm **T**urcica aut Iudaica circumcisio, est sacramentum. **D**ixit autem cœlestis uox, **F**ugite idolatriam.

